

*Dispp.*

7383



INDEX MATERIARUM

De A. pag.  
 Abrogatione Legum. 1.  
 Aedificijs privatis. 97.  
 non Appellandi priv. 445.

B.

Bello Svecico Discurs.  
 juridico-Politicus 511.

C.

Censu redimibili & irre-  
 dimibili - - - 235.  
 Coloribus juris. - 43.  
 Collectis. - 697.  
 Canonum errores. 723.  
 Cont. lita realibus 224.  
 Contestatione litis. 417.  
 Competenti foro 393.  
 Compensationibus 527.

D.

Discursus juridico Politicus  
 De bello Svecico. 511.  
 Differentijs juris communis et Sax. p. 555.

De E. pag.

Expeditionary rerum  
 Successione testamentaria. 185.  
 Errores Canonum. 723.

F.

Feudaliu in successio-  
 ne testamentaria - 185.  
 Fideiussoribus. - 264.  
 Foro competenti 393.  
 Fasciculus error Thalmodi 723.

G.

Gerada successio testa-  
 mentaria - 185.

I.

jure non appellandi. 445.  
 iuris coloribus. 43.  
 in integrum restitutio. 495.  
 juris communis et Sax. differ. 555.  
 Legum abrogatione. 1.  
 Legitimatione. 57.  
 Litis contestatione. 417.



De P. pag.  
 Possessione . 348.  
 Probationibz . 429.  
 Presumptiobz . 443.  
 Privata vindicta . 286.  
 Privilegio appellandi . 445.  
 Privatis edificijs . 97.  
 Prelatis . 545.

Auiditate . 591

R.  
 Retraditio . 257.  
 Retortione . 286.  
 Realibz contradiobz . 221.  
~~Realibz~~ . . . . .  
 Restrictione integri . 495.

S.  
 Successioe istantaria in fissa  
 feudis, reb. eppet. et herada.  
 Substitutionibz . 117.

de V. pag.  
 Venatione . 69.  
 Vindicta privata . 286.  
 Vestigalibz . 627.  
 Veritate . 575.  
 Unitate . 583.

ag.  
 85.  
 23.  
 35.  
 64.  
 93.  
 23.  
 35.  
 5.  
 13.  
 95.  
 55.  
 1.  
 7.  
 17.



15 417.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*De*  
LITIS CONTE-  
STATIONE

*Sive*

*Kriegsbefestigung /*

*Quam*

DEO OPT. MAX. ADJUVANTE

*Magnifico & Nobilissimo Jctorum Ordine in  
inlytâ Salanâ decernente,*

*Rectore Magnifico designato*

DN. GODEFRIDO FIBIGIO

J. U. Doctore & Professore Publico celeberrimo,

Consiliario Saxonico gravissimo, Curia Provincialis, Facul-  
tatis Juridicæ & Scabinatus Assessore dignissimo, Domino

Promotore & Præceptore suo ætatem  
observando,

Præsidente,

Pro supremis in UTROQUE JURE Insignibus &  
privilegiis DOCTORALIBUS consequendis  
publicè discutiendam exhibet.

JUSTINUS Wolff / Naumburgensis.

*in Auditorio Juridico*

ad diem Julii

---

JENÆ E calcographéo BLASI LOBENSTEINS,  
ANNO M. DC. XLV.



DISPUTATIO IN AUCTORITATE JURIDICA

LISTIS CONTENTIS  
STATIONE

Rechtsgeschichte

DEO OPTIMO MAXIMO  
AD HONORANDUM



DN. GODEFRIDUS FIBIGIO  
M. Doctor & Professor Publico etc.

Präsident  
in supremis in UTROQUE JURE IN AUSTRIA &  
privilegiis DOCTORALIBUS etc.

JUSTINUS GOHLE

in Auctoria

Leipzig

1812





IN NOMINE DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI:

THESIS I.

**L**itis contestatio à lite (a) & con-  
testatione (b) dicitur; eamq; Gra-  
ci *μεγαλαρχία τῆς δίκης* (c), Nostrates  
Kriegsbefestigung (d) vocant.

(a) *Lis* dicta est à *limite*, id est, termi-  
no, quoniam primæ inter homines contro-  
versæ de limitibus & ampliandis rerum dominiis coepe-  
runt, secundùm *Festum*. Quamvis autem nomen *Litis* gene-  
raliter sumptum omnem actionem significet, sive in rem sive  
in personam sit, *l. litis 36. D. de VS. &* aliàs quoq; variè sumatur,  
uti *Gædd. & Dd. comm. ad d. l. 36.* notant: in hac tamen ma-  
teriâ ipsum negotium, quod inter partes controvertitur, de-  
notare videtur *l. un. verb. negotij C. de lit. contest.* ac proinde  
hic pro ipsâ controversiâ sumitur. Hinc dicimus: litem ha-  
bere cum aliquo, litem intendere alicui, litem perdere &c.

(b) quasi sit simul testatio *Sichard. ad d. l. unic. C. ht. n. 4.*  
id est, duorum vel plurium adversariorum testata ordinatio  
judiciaria *Oldend. in pref. class. c. de lit. contest.* Siquidem par-  
ticula *Con* plerumq; significationem multiplicat, indicatq;  
actum vel duorum, ut in connubio, contubernio, *l. 3. C. de in-  
cest. Nupt.* vel plurium, ut in conventionem, consensu, *l. 1 §. 3.  
D. de Pact.* licet interdum contestatio pro simplici testatione  
ponatur, *l. qui testamento 20. §. 8. D. qui testam. fac.* & promi-  
scuè testatò & contestatò facere dicatur *l. §. 1. Julianus 12. D. de  
agn. & alend. lib.* id est, testibus adhibitis vel coram testibus  
aliquid facere, declarare, profiteri, *l. 1. §. 1. D. quod jussu, l. cu-*



rent 22. *D. de Testib.*, ut ita litis contestatio ab eo dicta sit, quod olim utraq; pars ad eos, qui tùm aderant, proclamabant: *Testes estote Quirites, Cuj. 9. Observ. 21.* atq; sic contestando certum & peripicuum faciebant, se iudicium accipere, *Festus libr. 3.* idq; ideò, ut solennibus satisfaceret, quæ in actibus legitimis, qualis etiam litis contestatio quondam fuit secundùm *Hotom. Illustr. quæst. 34.* requirebantur, & ne quid per iudicia contra libertatem Romanam violentum introduci videretur, sed omnia volentibus partibus fierent, & solenniter secundùm jus. *Oldend in præf. class. d. c.* Ut ut verò hodiè vetus illa solennitas & modus contestandi non sit in usu, cùm litis contestatio ampliùs præsentibus testibus non peragatur, *Donell. Comm. lib. 24. c. 1.* nihilominus tamen nomen remansit, quod in jure nostro infrequens non est, *arg. Manumissionis, Emancipationis, Nuptiarum &c.*

(c) id est, principium, originem litis seu iudicii, quoniam litis contestatio initium dat iudicio, *Cuj. 9. d. Obs. 21.* Unde *Bald. in auth. Clericus n. 8. C. de Episc. & Cler.* dicit: quod lite contestatâ iudicium incipiat habere formam contradictoriam, & ea quæ procedunt lite non contestatâ, propriè non dicantur acta iudicii, sed præparatoria eius.

(d) *Ord. Cam. Imp. part. 3. tit. 13. & 32. Const. Elect. Sax. p. 1. c. 10. & 11. Ordin. Process. Jud. tit. 16.* simili à belli acie desumpto, quæ dum instruitur, præparari dicitur, instructis verò ad id necessariis, prælium est, quod in militiâ forensi *Lis* vocatur *der Krieg Rechtens*/ id est, bellum seu prælium civile vel legitima pugna, quæ inter litigantes suscipitur & geritur, atq; sic quasi stabilitur & confirmatur, *Bart. ad d. l. un. C. b. t. n. 6. & 9.*

## Th. II.

Definitur litis contestatio à variis variè (a)  
Nos breviter ita (b): Litis contestatio est ipsius  
controversiæ (c) apud iudicem (d) facta nar-  
ratio (e)

(a)

419.

(a) *Gl. in e. unic. X. ht.* eam ita definit: ut sit principalis negotii hinc inde apud judicem facta narratio & subsequuta responsio sive negando sive confitendo. *Azo* brevius *ad d. l. un.* ut sit principalis negotii hinc inde facta narratio; quæ definitio displicet *Hostiensi* & *Panormitano in d. e. un.* qui eam sic definire malunt: ut sit fundamentum judicii per petitionem in jure propositam & congruam responsionem secutam animo litem contestandi factam. Ab his longius abit *Ramus Regul. 177.* dum inquit: Litis contestatio nihil aliud est, quam quædam inter eos, qui invicem controversiam habent, de judicio suscipiendo conventio, non solum inter ipsos, sed etiam cum judice inita, qui eos, cum ad se venissent, solet interrogare: an sibi de controversia, quæ inter eos esset, judicandi facerent potestatem, quam cum ipsi facere respondissent, tunc dicebatur susceptum judicium & lis contestata. Adhuc uberius *Socinus in rubr. extr. ht. n. 1.* rem exponit. *Cuj. 9. Obs. 21.* ita definit: ut sit ejus rei de qua controversia est apud judicem ex utraque parte facta narratio testibus presentibus, quem sequitur *Tr. sel. Diss. Vol. 1. D. 12. th. 2.* Succinctius *Vultejus Jurisp. Rom. l. 2. c. 31.* Est, inquit, judicii constitutio facta affirmatione unius, & contradictione alterius litigantis; *Wesenebec. in comm. ad d. l. un. ht. n. 12.* rem totam ad hodiernum forensem usum accommodans, hanc tradit definitionem: ut sit solennis judicialis responsio Rei de causa principali ad petitionem actoris idoneam congrue per Etiam vel Non aut æquipollentibus verbis facta, animo litem contestandi, ut super ea judicium fundetur & procedat. Alii aliter adhuc eam definire solent; quæ definitiones in quibus conveniant tam inter se quam cum nostrâ, aut à se invicem discrepent, satis liquet.

(b) Cum *Umm. in Diss. ad Proc. Jud. 12. Th. 1. n. 2.* quæ definitio delumpta est ex *d. l. un. C. ht.* ubi lis contestata dicitur, cum judex per narrationem negotii causam audire cœperit.

(c) Siquidem illud ipsum negotium, quod inter partes controversitur, ostendi & indicari debet, ut constet, quid in-

controversia sit, & de quo partes iudicium suscipere velint.  
*Donell Comm. l. 24. c. 1.*

(d) fieri enim debet litis contestatio apud iudicem, ut intelligat, super quo iudicandum sit, *l. unic. verb. iudex C. hr.* sive sit ordinarius sive delegatus, sive compromissarius *d. l. rem non novam 14. §. 1. verb. arbitros C. de iudic.* dummodo competens existat, *c. dudum 54. ubi Gl. in verb. per petitionem in iure X. de Elect. & Elect. pot. non verò apud Assessores Nov. 60 c. 2.*

(e) id est, ostensio, indicatio; & quod per narrationem rectè definiatur, patet ex *d. l. unic. & l. cum iudices 2. verb. post narrationem C. de iurej. propter calumn. dand. d. l. rem non novam 14. §. 1. C. de iudic.* hæc autem per unius partis affirmationem & alterius negationem fieri debet *d. l. 14. §. 1. verb. post narrationem propositam & contradictionem objectam*, nec petitio actoris aut libelli conclusio excluditur, sed magis præsupponitur, *c. unic. verb. per petitionem X. ht. c. dudum 54. X. de Elect. & Elect. pot.* ut ita litis contestatio constet & narratione actoris ejusq; petitione, & narratione rei conventi ejusq; responzione seu contradictione *dd. l. 2 l. 14. c. un. ubi Socin. n. 53. & seq. Vult Jurispr. Rom. lib. 2. c. 31.*

### Th. III.

Est autem litis contestatio alia generalis (a) quâ reus in genere negat narrata pro ut narrantur, & petita, pro ut petuntur, fieri debere; alia specialis (b) quâ ad omnia & singula libelli capita expressè & in specie respondet: alia pura (c) quâ reus purè respondet; alia conditionalis (d), quâ sub conditione & in eventum: Affirmativa (e) verò non datur; alii adhuc alias divisiones (f) tradunt.

(e)

420

(a) qualis non tantum *de jure communi* sed etiam in foro Saxonico olim frequentissima fuit, *c. cum ad sedem 15. X. de rest. spoliat. c. ex literis. 5. X. de divort. Ordin. Cam. Imp. p. 3. tit. 13. § vnd nach dem § tit. 32. §. vnd sollen/ Pract. Papiens in forma responsionis rei conventi §. narrata prout narrantur, Gail, 1. observ. 73. n. 1.*

(b) quæ hodie, in foro Saxonico tantum locum habet, reprobata illa generali litis contestatione, *Const. Elect. Aug. p. 1. c. 10. ubi Dan. Moll. n. 5. Ordin. Process. Jud. c. 16. nec certe absque prægnante ratione. Nam quoniam generalis illa contestatio neque simpliciter negativa, neque affirmativa (uti vocant Dd.) sed tantum implicita est, siquidem particula prout denotat aliqua contenta esse vera & aliqua falsa, licet ea, quæ vera aut falsa sint, non appareant, Pract. Papiens. d. l. Möller. ad d. c. 10. n. 1. ac proinde multa incommoda & pericula tam litigatoribus quam ipsi judici exinde oriri possint, Consult. Saxon. tom 2. p. 3. q. 36. n. 1. Itaque & quò eò citius lites finirentur, rectè Elector Saxonie Augustus constituit, daß der Beklagte vff alle vnd iede Punct vnd Stück/ vnd derselben narration vnd conclusion ausdrücklich/klarlich in specie vnd insonderheit antwortten/ vnd den Krieg also durch specification befestigen solle/ additâ hac comminatione, si non fecerit, eum tanquam contumacem puniri d. c. 10. Modest. Pist. Vol 1. Cons. 50. n. 9. & seq.*

(c) Si nempe reus nullas exceptiones declinatorias aut dilatorias vel etiam peremptorias & litis ingressum impedi- entes habet, vel omissis iis absq; ulla conditione & reservatio- ne ad libellum responder, quo ipso exceptionibus istis re- nuntiare videtur. *Paul. Castr. l. 2. Cons. 147. n. 3. Zanger de Except. p. 2. c. ult. n. 4.*

(d) qualis admittitur, testant: *Myns. 3. obs. 74. n. 6. & 9. Hillig. in Donell. Enucl. lib. 24. c. 1. in not. E. i. fin.* quando sci- licet reus exceptiones, quæ litis contestationem antecedunt, opponit, simulque sub conditione & in eventum, si inutiles & irrelevantes judici visæ fuerint, litis contestationem an- nectit. Quemadmodum in Foro Saxonico hodie reus in primo  
sta.

*Lim* statim termino omnes Exceptiones suas dilatorias opponere  
teneatur, annexâ incontinenti litis contestatione hâc condi-  
tionali & eventuali, nisi dubia admodum occurrat declina-  
toria, quâ objectâ, necesse non habet reus, antequam de eâ  
cognoscatur pronuncieturque, litem contestari *Const. Elect.  
Aug. p. 1. c. 3. Ord. Process. Jud. c. 11.* Quo casu providè Ad-  
vocati faciunt, si protestentur simul, non aliter, nec aliâ men-  
te & intentione reum litem contestari, quàm si exceptiones  
propositæ judicis interlocutione rejectæ, aut ab actore im-  
pletæ fuerint, *Hartm. Pist. p. 4. q. 22. Petr. Heig. p. 2. q. 2. n. 31.*  
Quod si tamen postea simpliciter libello respondeat, videtur  
â protestatione istâ recessisse, & purificatur sic eventualis illa  
litis contestatio, proindeque judex super eâ purè pronuncia-  
re potest, *Gail. 1. observ. 73. n. 5. & seq. Schultz. observ. 8. n.  
4. & seq.*

(e) qualem non tantum ex parte agentis sed etiam rei con-  
venti esse posse, statuunt *Socin. ad d. c. unic. X. de lit. cont. n. 70.  
Sichard. ad d. l. unic. C. eod. n. 5. Emer. à Rosbach. Prax. civil. t.  
49. n. 6. & 7. Gædd. ad l. 36. de VS. n. 21. & Pragmatici commu-  
niter.* Verum quoniam litis contestatio est quasi legitima pu-  
gna & bellum civile, unde Germanis quoque *Kriegsbefesti-  
gung* dicitur, uti supra *Thes. 1. lit. d.* notatum, ac proinde mu-  
tuam contradictionem requirit, per text. expr. in *l. rem non  
novam 14. §. 1. C. de judiciis.* neque inter eos qui consentiunt,  
lis existat, sequitur, quod nec contestatio ejus esse possit, pro-  
ut recte docent *Cyn. Sal. Bald. in d. l. unic. ht. Vigel. de lit. con-  
rest. c. 1. Gail. lib. 1. obs. 73. n. 1. & seq. Obrecht. in tr. de lit. con-  
rest. c. 2. n. 24. & seq.* Ex quibus tamen colligitur, id quod  
diximus de *simplici affirmativâ contestatione* intelligendum  
esse, quando scilicet reus libellatam actoris intentionem  
simpliciter & absolutè fatetur, nec quicquam ei opponit, quo  
casu sine ullo jurgio statuitur terminus reo ad solvendum abs-  
que ulteriore processu *l. si reus 73. D. de Procurat. l. si debitori  
21. D. de Judic. l. debitoribus 31. D. de Re judic.* intra quem nisi  
satisfaciat, executio procedit *Socin. in d. c. unic. n. 26. & 80.*  
Aliud verò dicendum est, cum reus quidem jus agendi actori  
com-



421.

competere non negat, sed ei exceptionem opponit, quâ actionem elidere intendit, cujusmodi litis contestationem Dd. *qualificatam* seu *implicitam* vocant, quod reus sic non simpliciter, sed secundum quid fateatur libelli contenta, additâ aliquâ exceptionis qualitate, puta pacti, solutionis, doli, metûs, transactionis, præscriptionis &c. Bart. in l. Aurel. 20. de lib. legat. Bald. & Dd. in l. unic. de confess. Bocer. Class. 6. D. 20. th. 15. & 16. Termin. in Process. c. 31. quo casu reo imponitur probatio, cum in exceptione actor sit l. 1. D. de Except. Siquidem talis contestatio non tam affirmativa quàm negativa est; qui enim excipit, contradicit, cum exceptio sit actionis exclusio l. 2. in pr. D. de Except. Nam quamvis fateatur causam intentionis, ipsam tamen intentionem actoris negat, pr. & §. 1. J. de Except. uti rectè tradit Bachov. ad Trent. D. 12. th. 2. l. a. verb. jure veteri. Sed quicquid sit, quin hodie litis contestatio quoque affirmativa dicatur & admittatur, dubium non est, idq; quotidiana praxis satis confirmat. Hinc formulæ istæ in pronunciando usitatissimæ: Und weil Beklagter den Krieg Rechtens affirmativè befestiget/ so ist Er etc. item Weil Er der Klage gestendig/ so ist Er etc.

(f) Sic aliam *conjecturalem*, aliam *juridicalem* faciunt, utramq; in *directam* & *indirectam* seu *conjunctam* subdistinguentes, cum Dd. Vigel. d. tr. c. 4. Obrecht. d. tr. c. 2. n. 5. & seq. aliam *expressam*, aliam *tacitam* Vult. Jurispr. Rom. l. 2. c. 31. aliam *legalem* seu *legitimam*, aliam *consuetudinariam*, Panorm. in d. c. unic. n. 15. aliam *civilem* aliam *criminalem*, Cujac. 9. obs. 21. aliam *propriam*, aliam *impropriam*, seu *presumptam*, Socin. in rubr. X. ht. n. 3. aliam *validam*, aliam *invalidam*, justam & injustam, Dd. ad l. unic. aliam *solemnem*, aliam *minus solemnem* Zang. de Except. p. 1. c. 2 n. 23. & seq.

#### Th. IV.

Litem contestari possunt omnes, qui non prohibentur vel Naturâ (a) vel Lege (b), & quidem tam suo (c) quàm alieno (d) nomine, actor & reus (e)

B

(a) uti



(a) uti infans, furiosus, mente captus &c. quia intellectus operatione destituuntur, *l. in negotiis 5. de R. I. nec intelligunt, quod agunt l. 1. §. 3. D. de acquir. poss.*

(b) Uti minores, cum non habeant legitimam personam standi in iudicio *l. 2. C. qui legitim. person. stand. in jud. prodigi, quoniam furiosis æquiparantur l. furiosi 40. de R. I. Servi l. servus 6. & seq. C. de iudiciis.*

(c) quicumque scilicet in propria causâ litigare & iudicio interesse possunt *c. pastoralis. 14. X. de iudic.*

(d) per procuratorem *l. procurator. 11. impr. D. de dol. mali except. l. procuratorib. 22. C. de Procurat. c. cum ad sedem 15. X. de restit. spoliat: nec litis contestatio exigit speciale mandatum Specul. tit. de Procurat. §. 1. n. 4.* sed quis admittitur ad litem contestandam, etiam si in mandato non sit mentio facta litis contestationis *Myns. 4. obs. 99. per patrem l. ult. §. 6. C. de bon. qua lib. in potest. tutorem & curatorem t. t. de administr. & peric. tut. & per omnes alios, qui alieno nomine iudicium jure suscipiunt t. t. de Postul. sic tamen, ut eodem modo, quo principales, contestari cogantur Specul. d. l. §. 2. num. 4. vers. sed etsi.*

(e) Uterque enim litigator de Jure Civili cum altero litem contestatur, nec solum actor cum reo, uti vult. *Cujac. 9. obs. 21.* sed etiam reus cum actore; siquidem narratione actoris & responsione rei constituitur & perficitur litis contestatio *l. cum iudices 2. C. de jurejur. propter calumn. dand. l. rem non novam 14. §. 1. C. de iudic. c. unic. X. ht. ubi Bart. n. 10. & Dd. comm. vide supra Th. 2. l. e. licet si ad hodiernum Fori morem respiciamus, magis reus litem contestari dicatur, ejusque responsio animo litem contestandi facta, pro litis contestatione habeatur *Wesenb. in π. ad l. unic. ht. n. 1. nec hodie actori sed reo tantum litis contestatio imponatur; Hinc frequenter ita pronuntiari solet: Daß Beklagter alhier zu erscheinen / vnd auff die wider ihn erhobene Klage sich ein zulassen / zu antworten / vnd den Krieg Rechtens zu befestigen schuldig.**

Th. V

Th. V.

422.

Requiritur litis contestatio in omnibus causis, de quibus iudicium suscipitur (a) sive civiles (b) sive Criminales (c) sint; sive reales sive personales; nec solum in petitoriis, sed etiam possessoriis (d), tam in primâ quàm in secundâ instantiâ (e), exceptis tamen quibusdam (f).

(a) Siquidem aliàs nec causæ cognitio, nec probatio, nec definitio fieri, nec iudicium esse potest, *Socin. inc. 3. n. 8. X. ut lit. non contest.*

(b) de quibus nullum sane dubium est *Umm. Disp. ad Process. Jud. 12. th. 3. n. 11.*

(c) *l. in Sctum 15. D. ad Sct. Turpill. l. ult. C. ut intra certum tempus, Bart. in l. 1. §. accusationem n. 6. D. ad Sctum Turpill. Cujac. 9. obs. 21. & R. l. 1. art. 63. & l. 2. art. 15. ubi Gl.*

(d) *§. retinenda 4. infin. verb. litis contestata tempore I. de interdct. l. properandum 13. §. 1. verb. super possessione C. de iudic. Accurs. in l. ult. verb. panduntur C. si per vim vel alio mod. Jas. in l. naturaliter §. nihil n. 165. & seq. de acquir. poss.*

(e) *l. unic. C. ne liceat in una ead. causâ Ordin. Cam. p. 3. c. 32. §. 4. Covarr. ad e. Raynaldus §. 2. n. 1. X. de Testam. Wurmbf. 13. obs. 1. n. 1. etiam si alii aliter sentiant, de quibus videre licet Gail. 1. Obs. 76 Umm. d. D. ad Process. 12. Th. 3. n. 12.*

(f) cujusmodi sunt Spirituales, Electionum, postulationum, provisionum *c. quoniam 5. §. porro X. ut lite non contest. clem. 2. de iudic. Matrimoniales c. 1. d. t. X. ut lite non contest. Socinus in d. c. quoniam n. 16. Breviores & modici præjudicii arg. auth. nisi breves C. de Sentent. ex brev. recit. quarum æstimatio merito arbitrio iudicis relinquitur arg. l. 1. §. ult. D. jure delib. Diffamationis ex l. diffamari 5. C. de ingen. manum. Gail. 1. obs. 12. n. 2. Liberales arg. l. juxta 40. C. de liber.*

*causa. Notoria, c. ult. X. de cohab. cleric. Socin. in d. c. quoni-*  
*am n. 60. Bal. Salicet. & Dd. in l. ea quidem D. de Accusation.*  
*siquidem in his non observatur juris ordo Clem. pastoralis 2.*  
*de Sentent. & re jud. c. ad nostram 21. X. de jurejur. Cause pau-*  
*perum, carceratorum & aliarum personarum miserabilium,*  
*Gail. 1. obs. 78. Obrecht. in tr. de lit. contest. c. 4. n. 50. Vult. Ju-*  
*rispr. Rom. l. 2. c. ult. tributorum, publicarum functionum, &*  
*aliae ubi publicum vertitur commodum Dd. in l. 2. C. ubi quis*  
*de curial. vel cohort. quoties periculum est in morâ arg. l. 2. D.*  
*de Feriis, Jason in l. naturaliter 12. §. nihil n. 172. de acquir. poss.*  
*& omnes aliae summariae & extraordinariae, in quibus de pla-*  
*no & sine strepitu judicii proceditur, nec libellus exigitur,*  
*de quibus Ordin. Cam. Imp. p. 3. c. 2. & Dd. latissimè tractant,*  
*in Clement. sepè 2. de V. S. Socin. ad d. c. quoniam à n. 7. usq;*  
*ad n. 77. Job. Monach. in Pract. Jud. p. 8. c. 4. n. 8. & seq., Coler.*  
*de Process. Execut. p. 3. c. 5. n. 2. & seq. Zanger de Except. p. 1. c. 1.*  
*Vult. Jurispr. Rom. l. 2. c. ult. quas omnes recensere, nostri in-*  
*stituti non est. Interim hoc observandum, licet in his & si-*  
*milibus nec libelli oblatione nec contestatione litis solenni,*  
*de qua hîc agimus, præcisè opus sit, d. clem. Sapè 2. de VS. ne-*  
*cesse tamen esse, ut sicuti qualis qualis petitio actoris, ita et-*  
*iam responsio rei qualis qualis intervenire debeat, cùm aliter*  
*ad cognitionem & sententiam perveniri non possit, Specul. in*  
*libell. concept. §. nunc dicendum n. 14. Unde contradictio par-*  
*tis adversæ et actus ille, qui aliàs in causis ordinariis post*  
*ipsam litis contestationem subsequi solet, nempe positiona-*  
*lium seu articulorum exhibitio, aut meritorum causæ dispu-*  
*tatio, in hisce causis vice contestationis est, Bart. & Dd. in*  
*auth. offeratur C. de lit. Contest. Felin. in c. insinuante infin.*  
*X. de Offic. & potest. jud. delegat. Roland. à Vall. lib. 1. Cons.*  
*71. num. 36.*

### Th. VI.

Fit litis contestatio hodie (a) unius par-  
 tis affirmatione & alterius negatione (b) ani-  
 mo

423.  
mo litem contestandi (c) in iudicio (d) parte  
utraq; præfente vel faltem citatâ (e) verbis  
idoneis (f).

(a) quomodo olim litem contestatio facta fuerit, notant  
*Dd. comm. ad l. unic. & seq. auth. offeratur C. ht.* sed quia à for-  
mâ ista veteri iudiciorum usus maximâ ex parte recessit, id  
quod in ipsis rerum argumentis obtinet, persequemur.

(b) id est, unius narratione & petitione, alterius verò  
contradictione *l. rem non novam 14. §. 1. C. de Judic.* quemad-  
modum supra *tb. 2. l. e. & Th. 3. l. e.* dictum est, nempe ut actor  
exponat iudici id, quod intendit adversus reum; & contra ut  
reus neget, id se debere; Uterq; eo animo, quod velint su-  
per hoc ipso audire sententiam Magistratus *Oldend. in præfat.*  
*class. c. de lit. contest.* Quare si tantùm simplex postulatio ce-  
lebrata sit, vel actionis species ante iudicium recognita, res  
in iudicium deducta nondum videtur, nec lis contestata dicitur,  
sed tùm demum cum iudex per narrationem negotii cau-  
sam audire cœperit *l. unic. C. ht.* nec per positiones *c. dudum*  
*54. X. de Election. & Elect. potest. c. unic. X. eod.* quoniam is,  
qui ponit aliquid, nihil petit ab adversario, nec etiam osten-  
dit, per hoc se agere velle, *Gloss. Panormit. in d. c. unic. per*  
*multa.* Num autem per oppositionem exceptionis litem con-  
testatio contrahatur, latè tractant, *Bart. Cyn. & Dd. commu-*  
*niter in l. unic. C. ht. & c. un. X. eod.* quorum opiniones distin-  
ctè refert *Umm. in d. Diss. ad Process. Jud. 12. tb. 4. n. 15.* Sicuti  
etiam, quid de illâ litem contestationis formulâ: nego me  
mutuos accepisse tot aureos, & si apparuerit, me accepisse,  
dico me solvisse, sentiendum sit, tradit *Gl. in cap. venerabilis*  
*6. X. de Except. verb. confessus. Bald. in l. siquidem 9. C. de Ex-*  
*cept. Præf. Papiens in formâ Responsionis rei conventi n. 9. & seq.*  
*Zang. de Except. p. 3. c. 26. n. 141.*, qui hâc cautelâ tunc opus esse  
asserit, quando reus de intentione actoris dubitat; proinde-  
que non tantùm in foro contentioso, sed etiam conscientia  
admitti posse videtur, quicquid *Gl.* dicat in *c. exceptionem post*  
*medium verb. tutius de R. J. in 6.*

Frank. 2. fol.

Frank. 2. fol.

B 3

(c)

(c) nam ad hoc, ut fiat litis contestatio, requiritur necessario animus litem contestandi, & scientia, id est, ut uterque velit & sciat, se litem contestari *Gl. in d. c. unic. b. r. Myns. 3. obs. 74.* cum sit quasi contractus *arg. l. licet 3. §. 11. D. de peculio.* Neque tamen precise opus est, ut illa verba in specie & diferte exprimantur: in *Gemüth vnd Meinung den Krieg Rechtens* zubefestigen/ uti volunt quidem multi Canonist. referente *Panormit. in c. d. unic. in 7. column.* siquidem nullibi constitutum & dispositum est, ut ista clausula adjiciatur, *Grev. 1. concl. 73. n. 5. & seq. Obrecht. d. tr. de lit. contest. c. 7. n. 55.* & verba respondentis satis declarant animum. Nemo enim praesumitur aliud verbis dicere, quam in animo habeat, *l. labeo 7. §. fin. D. de supell. legat.* quare etiam hoc in casu semper animus litem contestandi praesumitur, nisi de contrario constet, ut si reus expressè protestetur, se quidem respondere non autem animo contestandi litem, sed tantum judicem informandi causâ, *Menoch. 2. praesumpt. 30. n. 4.* Quam practicam rectè observant Advocati, quando exceptiones dilatorias aut alias objiciunt, cum illa protestatio faciat, ut lis non videatur contestata, quæ aliàs esset contestata, nisi fuisset adhibita, & quia responsio non est uniformis & simplex, sed multos intellectus habere potest, vel ut informetur solum judex, vel etiam ut simul fiat litis contestatio, idcirco protestatio ista facto contraria non videtur, neque sic per responsionem tollitur, *Sichard. ad d. l. unic. C. ht. n. 5.* Quod si tamen ex intervallo reus simpliciter respondeat, videtur à protestatione antea facta recessisse, sicuti supra quoque *ib. 3. l. d. diximus,* & lis pro contestatâ habetur *Speculat. in tit. de lit. contest. §. nunc vers. patet, Practica Papiens. in Forma Respons. rei conventi §. non tamen n. 1. Myns. 3. obs. 31. & 74. Wurmbser. l. 1. t. 13. obs. 5.*

(d) nempe apud judicem competentem in loco judicii solenni *c. dudum 54. de Election. & Elect. potest,* nec alibi facta tenet, sed pro non factâ habetur, *Socin. in d. c. unic. n. 9.* quæ propter extrajudicialis petitio & responsio non inducit litis contestationem *Sichard. ad d. l. unic. n. 4.*

(e)

causâ

429.

(e) *Bald in d. l. unic. n. 4. Castr. Vol. 1. conf. 41. n. 2.* quare ad eam utraque pars citari & terminus huic faciendæ constitui debet, *Socin. d. l. n. 12.* Hinc quamvis alii præcisè requirant non tantum utriusque partis præsentiam, sed etiam, ut mutua ista narratio uno & eodem seu continuo actu, non ex intervallo fiat, *Bart. in d. l. unic. n. 9. & 10. Castr. d. conf. 40:* hodie tamen contrà servari testatur *Panormit. in d. c. unic. n. 7.* ut nempe absente quoque adversario, citato tamen, contestari alteruter possit, vide *Sichard. ad d. l. unic. n. 3. & 4.* quia si citatus contumaciter emanet, contumacia ejus pro præsentia est, *c. prout 4. X. de dolo & contum.*

(f) id est, quæ ad ipsam causam controversam spectent & referantur *d. c. unic. X. bt.* ubi Dd. Neq; tamen semper ex parte actoris verba affirmativa, ex parte verò rei negativa esse debent; Sed sufficit, ut re ipsâ neget reus, quod actor intendit, idque fit, si petitioni ejus contradicit, utcumq; etiam verba actoris sese extrinsecus habeant. Quod autem in nostro Foro specifica litis contestatio requiratur, diximus supr. in *Th. 3. lit. b.* quin nec hæc sufficit, sed in super clara, rotunda & aperta esse debet, pura non conditionalis, omnibus exclusis ambagibus, omniq; appendice rejectâ *Const. Elect. Aug. p. 1. c. 10. verb. ausdrücklich / klärllich / Ordin. Process. Jud. tit. 16. inpr. verb.* Und bey einem iedes articul deutlichen vnd unterschiedlichen / iedoch auffß kürzeste / als sichs leiden will / anzeigen / was sie bey dem facto an ihm selbstem ohne Anhang / desgleichen an denen darneben angezogenen qualitäten vnd Umstenden gestehen oder verneinen ic. Unde actores in libellis tali formula uti solent: fodert demnach Kläger hierauff von Beklagten eine klare / deutliche / unbewundene vnd categorische Antwort etc. Et quidem in *Ordin. Cam. Imp. p. 3 t. 13. S.* vnd nach dem / talis formula litis contestandæ præscribitur: In Sachen N. contra N. bin ich der Klagen nicht gestendig / bitt mich von derselben mit Abtrag Kosten vnd Schäden zu erledigen; Hodie verò *generalis litis contestatio* fieri solet, plerumq; his verbis: Das Beklagter der Klagen in massen dieselbe an vnd vorbracht nicht geständig / negando narrata, pro ut narrantur, & petita,  
pro

prout petuntur, fieri debere; *Specialis* verò: Daß er der Klagen  
in massen die mit ihren Qualiteten vnd Umständen vorbracht/  
ganz nicht geständig/ inspeciè aber vnd Insonderheit gestehet  
er nicht/ daß in den libellirten &c. *Conditionalis*: in Fall an-  
gezogene Exceptiones nicht der Erheblichkeit/ das er dadurch  
von angestelter Klage zu entbinden / wil er hiermit litem in  
eventum negativè contestirt haben &c. Num autem per ver-  
ba *credo & non credo, ignoro, dubito, non nego, item, tu menti-*  
*ris per gulam,* lis contestari possit; & utrum vivâ voce, an  
verò in scriptis quoque litis contestatio fieri queat, *Vid. Bar-*  
*tol. Bald. & Dd. in d. l. unic. C. ht. & Panormit. Felin. Socin. &*  
*Canonist. in d. c. unic. X. eod. Sichard. ad d. d. unic. n. 4.* Hodie  
tamen in *Foro Saxonico* non solum in ipsa litis contestatione,  
sed etiam tam ante, quam post eam, non mutuis scriptis, sed  
vivâ voce von Munde in die Feder procedendum, *Const. Elect.*  
*Aug. p. 1. c. 1. & 9. ubi Möller. n. 1.* idq; abbreviandarum liti-  
um causâ constitutum est, ut nempe partes jura sua de simpli-  
ci & plano, ore tantùm absque scriptis proferant, nec per  
apices juris & subtilitates legum domi excogitatas & inscri-  
ptis conceptas, lites protrahant, adeoque hæ citius determi-  
nentur, atq; finiantur, *Rauchb. p. 1. q. 1. n. 6. & seq. Coler. p. 1.*  
*dec. 111. & seq.* An verò actor, si prius judici libellum scri-  
ptis offerat, & postea in termino comparens, paucis verbis se  
ad illum referat, audiendus sit, non convenit cum *Berl. p. 1.*  
*Concl. 13. n. 8. Carpz. in Jurispr. Forens. p. 1. c. 1. d. 3.* qui tamen  
rem per distinctionem decidendam putat, uti videre licet.  
Tandem hoc addendum restat, quod in *Foro Saxonico* litis  
contestatio statim in primâ vel in secundâ positione,  
fieri debeat, nec admittatur in tertiâ seu ultimâ positione, in  
letzten Satz/ idq; propter *Const. Elect. Aug. 1. p. 1.* quæ in ul-  
timâ positione quicquam novi proferre prohibet; ita ut  
si contra factum fuerit. id in judicando prorsus non atten-  
di debeat *Möller. in d. c. 1. n. 3. Carpz. & f.*

Th. VII.

Ideo verò litis contestatio fieri debet, ut

con-



425

constet judici (a), super quo ipsi judicandum sit; & partes (b) sciant, in quo lis consistat.

(a) *l. un. C. ht.* siquidem aliàs judex neq; ad causæ cognitionem, neq; ad definitionem ejus procedere posset, cum ignoret, quid uterq; litigantium velit *Myns. 4. obs. 66.*

(b) antea enim neq; reus novit, quid actor intendat; nec actor scit, num reus cedere, an verò contendere velit, quidq; utriq; probandum sit, *t. t. X. ut lite non contest.* ubi latè *Socin. in c. 3. n. 8.* Itaq; ne quis ullam de executione juris, sed de se ipso conquerendi occasionem haberet, & ne quid violentum in Sacrosanctâ justitiæ officinâ admitti videretur, sed omnia volentibus partibus fierent, & solenniter secundum jus, liti contestatio introducta est, uti supra dictum in *Tb. i. l. c.* ex *Olend. in prefat. Class. c. de lit. contestat.*

### Th. IIX.

Per liti contestationem res in iudicium deducitur (a), nec post eam judex amplius recusari potest (b), uti nec libellus mutari (c), inducit novationem (d), præscriptionem interrupt (e), actiones producit (f), & perpetuat (g), rem peritam litigiosam facit (h), periculum ejus in reum transfert (i), eumq; in malâ fide constituit (k), excludit exceptiones dilatorias (l), causæ alienæ dominos facit (m), & alia multa operatur (n).

(a) est enim fundamentum iudicii, in quo stat iudicium, & ab eâ demum iudicium propriè loquendo incipit *d. l. unic. in princ. res in iudicium C. ht. c. super questionem 27. X. de offic. & potest. deleg. c. dudum 54. X. de Elect. & Elect. potest. Donell. 23. comm. 1. Gail. 1. obs. 74. n. 1.* & quasi lapis angularis *Hospiens. in d. c. unic. X. ht.* quo non jacto, iudicium non procedit, *t. t.*

C

X.

X. ut lib. non contest. nec ante litem contestatam dicitur esse  
lis mota, nec etiam dicitur quis agere, sed agere velle, cujus  
omissio totum processum vitiat, Panormit. in d. c. unie. X. br.  
n. 11. Myns. 3. obs. 74. Hinc Hostiens. in summa d. c. eleganter  
inquit: *litis contestationem esse causam & litis fundamentum, posi-  
tiones parietem, sententiam deniq; rectum.*

(b) l. Sed. et si 52. inpr. D. de Judic. l. rem non novam 14.  
infin. & l. apertissimi 16. C. de judic. l. nemo 4. C. de jurisd. omni-  
um jud. Nov. 53. c. 3. sed habet Judex utrumq; litigatorem sibi  
obnoxium auth. qui semel C. quomodo & quando judex.

(c) l. 3. ubi Dd. C. de edend. l. non potest. 23. D. de judic.  
Gail. 1. Obs. 74. n. 4. quia per litis contestationem quasi con-  
trahitur in iudicio, & litigantes instantiæ obligantur l. licet 3.  
§. 11. D. de Pecul. d. auth. qui semel. à quâ alterâ parte invitâ di-  
scedere non licet, l. is qui se 25. D. de Rei vindicat. l. sicut 5. C.  
de Obligat. & act. Hartman. Pistor. p. 4 q. 22. n. 1. ; quod et-  
iam in forô Saxonico obtinet, const. Elect. Aug. p. 1. c. 11. vers.  
so ordnen. Ord. Process. Jud. t. 5. §. da auch vers. wann eben /  
Coler. ad c. dilecti X. de Except. n. 18.

(d) l. aliam 29. D. de Novat. l. si delegatio 3. C. eod. Gædd.  
ad l. 36. n. 11. de V. S. Hotom. 4. obs. 5.

(e) si quis 2. C. ubi in rem actio. l. sicut 3. l. cum notissimi 7.  
inpr. C. de præscript. 30. ann. l. nec bona 10. C. de præscript. longi  
temp. l. nemo 10. C. de acquir. possess. Dd. in l. naturaliter 5. D. de  
Usucap.

(f) l. ult. in fin. D. de fidej. tutor. l. nam postea q. 9. §. 3. D. de  
jurejur. l. cum notissimi 7. inpr. & l. ult. C. de præscript. 30. ann.  
l. 1. §. 1. C. de annali Except. Vide Cujac. 18. Obs. 29. Conn. 3.  
Comm. 11. n. 7. Fab. ad l. 139. verb. tempore D. de R. J. Hotm. 4.  
Obs. 5. Umm. d. Disp. 12. th. 5. n. 20.

(g) sc. quæ morte peribant, ut in heredes transmittan-  
tur. d. l. ult. D. de fidej. tutor. l. omnes 139. l. pœnalia 164. de R. J.  
l. omnes 26. l. constitutionibus 33 l. sciendum 58. D. de obl. & act.

(h) ita ut amplius non possit alienari l. lite pendente 2. C.  
de litigios. Anton. Fab. in Cod. l. 3. t. 8. d. 2.

(i) l.

(i) l. illud 40. D. de Pet. hered. l. item 51. §. ult. D. de Rei vindic. l. 1. §. 34. D. de vi & vi armat. Donell. 20 Comm. 5. Cuj. ad l. 23. de verb. Oblig. Hotm. Illustr. quest. 30.

(k) l. sed & 25. §. D. de petit. hered. l. nec bona 10. C. de prescript. long. temp. ac proinde possessorem ad fructus, partus, accessiones, & causam omnem præstandam cogit l. certum est 22. C. de Rei vindic. l. videamus 38. §. 4. D. de usur. l. litigator 2. C. de fruct. & lit. expens. Arum. in tr. demorac. 8. n. 9.

(l) l. exceptionem 19. C. de probat. l. pen. & ult. C. de Except. Const. Elect. Aug. p. 1. c. 3. adeò ut post iudicium acceptum & litem contestatam iis renunciaffe reus intelligatur, l. ita demum 13. C. de Procurat. c. cum causam 62. ubi Dd. X. de Appellat. Jas in l. si arrogator n. 50. D. de Adopt.

(m) ita ut procuratores substituere possint c. 1. §. licet de Procurat. in 6. nec mandatum eorum amplius revocari queat nisi causâ prius cognitâ l. post litem 17. & seq. D. de Procurat.

(n) de quibus Rebuff. tom 4 fol. 335 Hotm. 4 Obs 5 Gail. 1. Obs. 74. Wesenb. Comm. ad d. l. unic. C. h. t. Umm. d. Disp. 12. th 5. n. 19. & seq. & Dd. communiter, ad d. l. un. & c. unic. X. cod.

Th. IX.

Equiparatur litis contestationi primus actus contradictorius (a) in causis summaris; sic etiam pro litis contestatione habentur Preces Principi oblatae (b), Nominatio actoris in iudicio facta (c), & contumacia rei (d).

(a) ubi solennis contestatio non requiritur Bald. in l. & post Edictum n. 2. C. de judic. Alexand. in l. properandum n. 5. C. eod. Jas. ibid. n. 5. & 7. modò respiciat causa merita Marant. de lit. contest. n. 2. de quo etiam supr. in th. 5. lit. f. dictum fuit.

(b) l. 1. & 2. ubi vulgo Dd. C. quando libell. princip. dat. lit. contest. fac.

(c) l. si quis 2. verb. tanquam lite contestatâ ubi Cyn. n. 13. Bart. n. 3. & seq. & Dd. Comm. C. ubi in rem act. exerc. debet, quando



scilicet nominatus ad nominationem intimatam non com-  
paruit *d. l. 2. c. quoniam ubi Socinus n. 145. X. ut lite non contest.*

(d) si nempe per reum steterit, quo minus lis contestetur, dum quærit subterfugia, lis pro contestatâ habetur, transitq; actio ad heredes *l. si eum. 10. in fin. D. si quis caution in jud. sist. Vasq q. 3. controv. 69. n. 26.* An verò per impositionem responsionis, non facta mentione litis contestationis expressa, hisce formalibus, sich einzulassen/ zu antwortten/ præcisè litis contestatio imposita intelligatur, reoq; exceptiones dilatoriæ ademptæ sint vid. *Mod. Pistor. Vol. 2. Cons. 24. in pr. & Cons. 37 n. 19. Carpz. in Jurispr. Forens. p. 1. c. 3. d. 7. & in Respon. Elect. l. 2. resp. 8.*

### Th. X.

Impediunt litis contestationem Exceptiones dilatoriæ (a) & protestatio (b): tollunt jus (c) & peremptoriæ Exceptiones (d).

(a) *l. ita demum 13. ubi Dd. Comm. C. de Procurat.*

(b) de qua supra in *Th. 3. lit. d. & Th. 6. lit. c.*

(c) quale est *Lex clem. sæpè 2. in verb. litis contestationem non postulet de VS. Consuetudo Panormit. in c. in causis X. de sentent. & re jud. Myns. 4. Obs. 62. Statutum Socin. in c. quoniam n. 26. X. ut lit. non contest. Rescriptum d. clem. sæpè, Wesenb. in Comm. ad b. t.*

(d) quæ litis ingressum impediunt, & incontinenti probari possunt, uti Transactionis, jurisjurandi, rei judicatæ &c. *c. 1. de lit. contest. in 6. l. nam posteaquam 9. in pr. D. de jurejur. Bart. in l. ult. n. 3 D. pro suo* Sed hac de materiâ hâc intricatissimâ jam sufficiant.

SOLI DEO GLORIA!

427.  
*Clarissimo Dno Doctorando, Amico  
suo Charissimo,  
S. P.*

**N**on benè conveniunt, quæ sede morata  
sub unâ,  
Nomina, JUSTINUS WOLFIUS, ambo  
ferunt.

Namq; ea naturæ pugnantis habere videntur  
Semina; *testata litis* & inde seges.  
Sed *contestatam litem* non dirimet illam,  
Ad juris normam cum benè facta, *Dea?*  
Quæ *Dea?* num *Themis?* an quæ vult *Regina*  
vocari?

Eja age *compositrix* utraq; (*grator!*) erit!

*Meris adponebat  
lubentis*

*bonæ sevæ ergo*

Præses.

---

**W**OLFI, quid tandem Tibi pro sudore rependat?  
Quæ quæso reddat præmia digna Themis?  
Præmia digna Tibi tribuet Themis alma; capeffes.  
Præmia, quæ nullo sunt peritura die.

Ita

CLARISSIMO Dn. DOCTORANDO,  
*conterraneo suo dilectissimo, ani-  
mitus gratulatur*

Erasmus Ungepaur J. U. D.  
& Ordinarius.

C 3

Lis



**L**is contestata est; sententia iusta sequetur:  
nam satis HOC monstrat, causa pro-  
bata fiet.

*ita*  
*Clariss. Dno Doctorando*  
*Adfina suo dilectissimo*  
*ex animo*  
*grat.*

Rudolph-Wilhelmus Krauß/  
D. P. P.

**M**entem propositi juncta virtute tenacē,  
conatus inde fessos, horumq; secundos  
successūs, atq; ut libet, incrementa secunda,  
ingenio, WOLFI, simul ac florente juventâ  
prædite, votivo, voveo, TIBI, corde precorq;  
Aspiret calidis cœlestis gratia votis.  
Sic præsto LAURUS, quæ fulgida tempora  
lambat,  
nomen & æternis referat post fata tabellis.

WOLFI  
**O**lim MEDICINA â TE expectabat splen-  
dorem: TUA FAMA ab illius radiis lu-  
cem, ab optatis successibus patriis a mula bo-  
no-

428.  
norum incrementa. Nunc aliud sequeris fo-  
rum HONORUM feracissimum. Hi cum divite  
matre OPULENTIâ amico consortio combinati  
TE benevolo comitentur proventu. Sic facili  
negocio vitæ hujus superabis tœdia, & Ma-  
gnus eris Juris Patronus. Id ex animo optat  
GVERNERUS ROLFINCK, Hamburg. PHIL.  
MED. D. Pract. & Chim. P.P. Facult. Senior.  
Medicus Ducalis Saxonicus.

---

**D** *Vm* scis, quid sit litis contestatio, &

*Qui fiat; certè lis tibi cuncta patet.*  
*Vincis ritè foro, famamq; extendis in*  
*ævum,*

*Ac laudem à serâ posteritate capis!*

gratulans de properab.

Hieronymus Mühlpsfort /  
D. & Cur. Provincia.  
Advoc.

---

**D** *Ulcia* non novit, qui non gustavit amara  
Scilicet opposito noscitur omne bo-  
num.

Aspera

Aspera sensisti, WOLFI, mox jure sequentur  
Dulcia, queis uti det tibi JHOVA DIU!

*Ita*

*Clarissimo Dn. Doctorando, amico  
suo certissimo ex animo  
gratulatur.*

Ernestus Fridericus Schröter,  
J. U. Cand.

**N**ondum civili temerare in sanguine dex-  
tram

Germanum civem mitia fata vetant:

Et tu, torve, novam, miles deducis Erinnim.

Fallor? an ille jubet: *Litibus adde modum!*

*Julianus  
L. quidã  
21. de reb.  
credit.*

At sese nobis tranquilla ita secula reddant,


Palmeus ut cathedrã victor ovator abis!

*Clarissimo Dn. Doctorando amico  
suo svavissimo, sinceri amo-  
ris ergò appone-  
bat*

Sigismundus Peilick

F I N I S.







94 A 7383

ULB Halle


3

002 133 822



VD 17







DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*De*  
LITIS CONTE-  
STATIONE

*Sive*  
*Kriegsbefestigung /*  
*Quam*  
DEO OPT. MAX. ADJUVANTE  
*Magnifico & Nobilissimo Jectorum Ordine in*  
*inlytâ Salanâ decernente,*

*Rectore Magnifico designato*  
DN. GODEFRIDO FIBIGIO  
J. U. Doctore & Professore Publico celeberrimo,  
Consiliario Saxonico gravissimo, Curia Provincialis, Facul-  
tatis Juridicæ & Scabinatus Assessore dignissimo, Domino  
Promotore & Præceptore suo ætatem  
observando,

Præsidente,  
Pro supremis in UTROQUE JURE Insignibus &  
privilegiis DOCTORALIBUS consequendis  
publicè discutiendam exhibet.

JUSTINUS Wolff / Naumburgensis.  
*in Auditorio Juridico*  
ad diem Julii

JENÆ E calcographéo BLASI LOBENSTEINS,  
ANNO M. DC. XLV.